

Johann Ludwig Engel

**De Excitatione Angelorum Ad Celebrandas Nobiscvm Lavdes Divinas, Occasione
Loci, Psalm. CIII. vers. 20, Et Aliorum, Qvædam Disserit, Et Pro Officio Rectorali,
Cives Academiæ, O. O. Honoratissimos, In Angelorum, Qvod Vocamus,
Angelorum Avtem Domino Dicamus, Festo ...**

Rostochii: Typis Johann. Jacobi Adleri, [1738?]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1004021992>

Druck Freier  Zugang





T. 512.

1738. Michael.

~~A-1256.~~²⁴⁹

M. 1738

DE
EXCITATIONE ANGE-
LORVM AD CELEBRANDAS
NOBISCVM LAVDES
DIVINAS,

OCCASIONE

LOCI, Psalm. CIII. vers. 20, ET ALIORVM,
QVÆDAM DISSERIT,

ET

PRO OFFICIO RECTORALI,
CIVES ACADEMIÆ, O-O
HONORATISSIMOS

IN

ANGELORVM,

QVOD VOCAMVS.

ANGELORVM AVTEM *DOMINO*
DICAMVS,

F E S T O ,

OMNI, QVO FAS EST; STUDIO
ADMONET

ACADEMIÆ VARNIACÆ RECTOR,
M. JOHANN. LUDOVIC. ERGEL,
PHIL. RATIONAL. PROF. DVCAL. ORD. FACVLT.
SVÆ HOD. DECANVS.



R O S T O C H I I ;

Typis JOHANN. JACÓBI ADLERI, SEREN, PRINCIPIS
& ACAD. Typogr.

249

M. 1256 249



Primarium est primariorum Dei ministrorum, Angelorum, in cœlis officium, laudes celebrare divinas: ad quod prompte, ac inde sinenter exsequendum, pluribus illi modis excitantur. Coram intuentar gloriam, sive excellentiam divinæ majestatis: Quid inde? Nonne, si nos homines, in his terris adhuc agentes, consideratio ejus gloria movet, ut glorioſſimum Numen veneremur, mentes quoque cœlestes ad venerandum movebuntur? Immo certe, eo incitatores erunt, quo longius ipsarum cognitio, quaꝝ intuitiva est, nostram cognitionem, quam abstractivam vocamus, antecedit. Nobis quoque, quando data est ea per Spiritum Dei gratia, ut veræ sanctitati studeamus, nil solet prius, aut antiquius esse, quam, ut laudemus Sanctissimum. Ergone nobis persuaderimus, angelos, adhuc concreata fibi, & perfecta sanctitate gaudentes, haec ipsa & semper, & maxime stimulari, ut in laudando summo, ac perfectissimo Numine, partes expleant suas? Idem se invicem ad celebrandum excitant. Quemadmodum enim pii homines, instar rotarum automati, se invicem agunt ac impellunt, & candalarum instar, aut prunarum, alius alium incendit: ita tales rotæ cœlestes, ac incendentes flammatæ magis adhuc dicendi sunt angeli. Præterea incitantur contemplatione singularum, quas Deus condidit, rerum, siquidem nullæ deprehenduntur, in quibus minus adfit, quod admirantur, summisque laudibus extollant.

lant. Ac præsertim, quum ad semet hic adtendentes, vident,
quæ & quanta, in ipsorum naturam, collata voluerit sapientissi-
mus, & benignissimus angelicæ naturæ Auctor, non possunt non
& gratulari sibi, & Deo laudes gratesque maximas obferre. Ad-
mirabili quoque Dei providentia, singulis ipsius operibus, re-
sum creatarum conservatione, hujusque universi gubernatione
ita delectantur, ut subinde novam capiant laudandi materiam.
Restat vero notabilis alia angelorum, ad celebrandas laudes di-
vinas, excitatio. Quænam ergo? Ea est, quum angeli, singu-
lari quadam ratione, excitantur a piis hominibus, vel extra eccl-
esiā triumphantem adhuc constitutis. De qua quidem in præ-
senti, quum hodiernus dies, & officium nostrum, ut *Cives Acadē-
micos moneamus*, admonet, paulo fusius differere, animus est.

Scilicet, angelis ejusmodi excitationem ab hominibus piis
proficiisci, nemo neciet, nisi, qui ita hospes in Bibliis, ut vel no-
tissimum Psalmum CIII, ejusque comma XX, quo sanctus David
mentes cœlestes de laudando DEO appellavit, ignoret. Tace-
mus adhuc loca alia.

Hic vero primum debet constare, qua fronte, *quovis jure* com-
pellandi ac excitandi partes sibi sumere audeant pii. Idem fi-
nis est, ad quem & angeli creati, & homines: utrique enim con-
diti sunt, ut gloriam Conditoris & agnoscant, & celebrent. Hinc,
quod in cœlis trisagium angeli canunt, idem in terris pii imitan-
turi. Quodsi vero ad eumdem utriusque contendunt finem, quid
obstat, quominus certatim, & ita contendant, ut se invicem
acuant, & excitent: præsertim, quum, quo quisque vel plures,
vel præstantiores, ad laudandum Deum exsuscitet, eo & proprius,
& magis, præstitutum adtingat finem. Quare quidem angeli
suum ducent, ut, quantum in se est, excitent homines; sed ho-
minibus quoque integrum est, in societatem celebrandi Numi-
nis angelos adcessere. Nec est, quod dicas, eam esse angelorum
alacritatem & perfectionem, ut hominum, qui vix lento eos gra-
du sequuntur, non indigeant stimulis. Primum enim plura
sunt laudum divinarum genera, ad quorum alia atque alia pos-
sunt & angeli invitari, ita quidem, ut has præcise, non alias hac
vice laudes nobiscum decantent. Deinde, quamvis maxime
alacres spiritus sint illi cœlestes; tamen se invicem ipsi incendunt,

si quidem hoc ad perfectionem spectat, & zelum significat gloria
divinae. Denique, sunt quidem homines angelis multo & im-
perfectioner, & legniores; attamen sufficit, quod ad perfecta &
summa adspirant, vel angelos excitando, immo sufficit, quod in
excitandis illis ipsam quamdam angelicam imitantur virtutem.

Credentes quoque ac pii rectissime sibi persuadent, esse ali-
quam suam, eamque veram, quamvis non in omnibus talem,
qualem inter se habent, cum sanctis etiam angelis communio-
nem. Ac in statu hominis instituto, hoc est, ante, quam amitte-
ret imaginem divinam, singularem prouersus angelos cum homi-
nibus amicitiam coluisse, seque his & frequentes, & conjunctissi-
mos sociasse, dubitari nequit. Similis simili gaudet; homo
vero angelorum quam simillimus extitit. Hinc & factum, cum
pluribus judicamus, ut eo felicius dicam? an infelicius primis
parentibus imponeret genius infernalis, angelum bonum spe-
cie mentitus, quum non nesciret, hominem consortio spirituum
coelestium satis adsuetum. Deinceps quidem in statu destituto,
sive post tristissimum hominis lapsum, aversi prouersus fuerunt an-
geli: nec enim fieri poterat, ut, qui toti pendebant a nutu san-
ctissimi Numinis, cum homine, a Deo se totum alienante, com-
mercum haberent. Verum enim vero, instauratam mox ami-
citiam, quum, intercedente quidem mediatore Christo, homi-
nes cum Deo in gratiam redirent, quis dubitat? Quare & Paulus
laete ac magnifice dixit, *ad myriades angelorum nos adcessisse.** Et
quamvis vel nobis ipsis, quænam hæc coniunctio, & communio
sit, minus adhuc pateat: tamen de ea sat certi sumus, novimus.
que, unam eamdemque esse ecclesiam angelorum & hominum,
quorum utrique sint ad societatem omnium bonorum cum Deo
electi. In altera vita de communione hac constabit apertius,
ubi plenaria *ιταγγελία* nobis adcedet. Hæc autem, qua angeli
hominesque inter se continentur, cognatio, atque communio
novum jam fundamentum est, ut hi possint illos, ad celebra-
dum nomen divinum, sibi socios expetere. Quod si enim gau-
dent coniunctione, jungantur omnino communi eo, ac primario
studio laudis divinae. Et, quum certum sit, nunquam certius
hominibus angelos adfore socios, quam, quum illi primarium
DEO cultum præstant, nomen ipsius & gloriam exaltantes, faci-

* Ebr. X, 22.

le adparet, quo jure, tiem qua confidentia hic angelos postulare possint.

Satis quidem, quin etiam solemnissime testati sunt spiritus cœlestes, omnino se societatem inire velle, ubi celebrandæ sint ab hominibus laudes divinæ: præsertim & ubi ob beneficia, hominum generi præstata, laudandus Dominus. Cogitemus, quæso, quales se, nato Servatore mundi, vel ultimæ sortis hominibus, pastoribus illis, dederint, cantantes eam in excelsis gloriam, quam in terris hi canere debebant. Quidni ergo & liceat, & deceat angelos excitare & invitare, ut laudibus nobiscum sumum Numen efferant?

Alterum jam caput meditationis est, ut dispiciamus de eo, ad quod angeli sunt ab hominibus excitandi. Nimirum, ad celebrandum laudes divinas. Laudes hæc primum quam latissime patent. Manifestat DEus majestatem suam in cœlis, quæ tanta, ut omnes cœlos longissime supereret, ac propterea cum stupore cordis admiranda, intensissimoque adfæctu deprædicanda est. Manifestat suam gloriam in mundo hoc adspectabili, ita, ut usque quaque ejus virtus, potentia, deitas elucescat.* Tota cœli machina nos in ejus iterum admirationem rapit, gloriam ipsius enarrans: ** totus terrarum orbis pars ratione desapientia, potentia, bonitate, aliisque attributis divinis testatur. Amplam DEum celebrandi materiem præbent omnes res creatæ, vita deficitæ; ampliorem, quæ ratione quidem, non vita carent; longe amplissimam, quæ gaudent utraque. Longum foret, singula edifferere. Interim tamen homo judicet, ad se pertinere considerationem omnis ejus, quam DEus manifestat, gloria, immo & cogitationem majestatis, quam cœlites intuentur, suumque esse, ut omnem hanc majestatem, gloriamve, laudibus suis quasi amplificet. Quare quidem hic advocabit, excitabit, sibique sociatos volet angelos, ut in genere nomen Altissimi prædicetur.

Attamen specialiori ratione respiciendum est ad landes, summo Numini debitas ob beneficia, quibus peculiariter ac largissime genus hominum prosequitur. Homo enim non generali tantum gaudet, sed & multo specialiori, quam reliquæ res crea-

) 3

* Rom. I, 20. ** Psalm. XIX, 2.

tæ, DEI providentia. Omnia maxime hic vénit consideranda mira ea benevolentia, quam gratiosissi num Numen in opere redēptionis, per Christum, ipsum DEI filium, factæ, demonstravit: estque attendendum, quanta in hoc opere gloria Altissimi eluēscat: ea scilicet, quam nec cogitando unquam adsequi licet. Dignus itaque non modo Deus, qui laudetur, sed & is est, qui nunquam, immo nec in æternum satis. Atque haec potissimum sunt laudes, ad quas digne extollendas, invitandi & excitandi angeli: Quibus & ipsi ita delectantur, ut inde a primis mundi temporibus desideraverint, evangelica haec mysteria int̄rospicere.

Ceterum, quæ omnibus quidem hominibus obseruntur beneficia, ea tamen solis credentibus atque piis, per providentiam specialissimam, ac gratiam eam, quam pluribus actibus Spiritus Sanctus exercet, certissime conferuntur. Hi igitur, specialissime semet ipsos contemplati, & quanta sibi sint a DEO concessa, comprehendentes, primum obstupecent, agnita præsertim indignitate sua; mox vero eo magis excitantur, ut laudent. Laudantes excitant & alios, qui secum eamdem gratiam gloriamque DEI celebratum eant: nec possunt, quin ipsis sanctis angelis, præcipua quadam ratione, laudei deprædicandas suas commendent.

Sed agendum quoque, ut innoteſcat modus angelos excitandi: qui quidem duplex indicandus, & directus alter, alter vero indirectus dicendus est. Ille, quem & maxime hic attendimus, tenetur per compellationem angelorum, (ab invocatione quidem multum diversam) & per æquam postulationem, ut cum laudationibus nostris conjungant suas. Binis hic vicibus exemplum præivit sanctus David, altera quidem sic mentes cœlestes adfatur: *
Benedicite Iehovæ angeli ejus, potentes virtutes, qui facitis verbum ejus cet.
Altera vero sic: ** *Laudate eum omnes angeli ejus, laudate eum cet.* Davidem imitatus est auctor cantici, quod tribus pueris, in furnum carentem injectis, tribuitur; sic enim ille: *** *Benedicite angeli Domini Domino, cantate, & superexalte eum usque in secula.*
Huc spectant quoque loquitiones, quibus caro adloquutus

Estat,

* Psalm. CIII, 20. ** Psalm. CXLVIII, 2. *** Laudat. trium pueror.
vers. 60.

Esaia, propheta, eos, ob factam a Domino redemtionem, ob ejus demonstratam gloriam, ob factam consolationem, iterum itemque jubet cantare, sive laudare. * Per cœlos enim quid inteligit, nisi cœlites, imprimis autem angelos? **

Evidem jam quæras, anne excitationes a Davide nec non Esaia factæ, heroicæ sint, prorsus singulares, & ex quas alii minus intentui? Sed vero licet omnino imitari. Profecto, liber hymnorum Davidicorum duplici nobis est traditus fine, primo, ut dogmata fidei, vitæque sanctæ p̄cepta, ex eo addiscamus, deinde, ut eundem in exercitium instituendarum precum adhibeamus. Num igitur, quum psalmos, in quibus rex angelos compellavit, nostros facimus, omittenda angelorum compellatio est? Causam ego, cur omittatur, video nullam. Quin potius hic repetenda, quæ supra edisseruimus, ubi docuimus, quo jure angeli possint ab hominibus excitari. Nempe, quum angeli non cum solo Davide, aut Esaia, sed cum omnibus fidelibus ac pii, ad eundem finem, qui est celebratio & gloria divini nominis, contendant; quumque omnes fideles ac pii non fecerit, ac duumviri illi sancti, cum angelis communionem colant; denique, quum omnibus ac singulis, Deum celebraturis, angeli se promptos jungant: certe est omnibus quoque integrum ac plium angelos compellare, & ad celebrandas cum ipsis laudes divinas excitare. Nondum diximus de fine, ad quem se refert illa cœlestium mentium excitatio; verum, quando mox de eo differemus, palam erit, etiam fine suo eamdem excitationem, non modo maxime, sed & omnibus atque singulis se commendare. Itaque hoc applicaverimus verba d. Pauli: *Quæcunque, inquietis, prescripta sunt, in nostram doctrinam prescripta sunt.* *** Immo certe, dictis locis radicata est doctrina, & observatio moralis de angelis, vel ore compellandis, ut nobiscum laudes divinas decantent.

Alterum eosdem excitandi modum diximus indirectum, eumque observamus, quando exercitium fidei, veræque pietatis non negligimus. Profecto enim, quum nos tales sumus, quales esse debemus, ut Deo placeamus: gaudent & angeli, &

excl.

* Esa. XLIV, 23. cap. XLIX, 13. ** conf. Hug. Grqtius in Esa. c. XLIV, 23.

*** Rom. XV, 4.

excitantur, ut non modo congratulentur nobis, sed etiam nostri causa Deum celebrent. Ita quidem Servator testatus est, eos latari de peccatore, pœnitentiam agente. * Quomodo vero latabuntur, nisi ita, ut, ob factam homini conversionis gratiam, nomen Dei laudent certissime? Verae pietatis consequens, & præmium est, ut Deus omni dono ac bono nos cumulare perget! Jamque quasi nova ratione excitantur angelii: quippe qui suum esse putant, ut, quoties homo aliam a Deo gratiam ineat, toties illi gratias pro ejus salute agant. Immo, si minus id nostri gratia fecerint; facient tamen propter Deum, quem vident, hominibus benefaciendo, suam subinde augere gloriam: faciunt ergo, ne ille laude bonitatis privetur.

Hic speciatim adhuc observamus, præcipuam quamdam esse, angelos excitandi, rationem, quum sancti in terris, nunc cœtibus publicis, nunc aliis privatim institutis, nunc etiam singulari ac soli, Deo debitum cultum exhibent, & præsertim gratias pro beneficiis ore cordeque reddunt. Mihi quidem persuasum est, angelos tum maxime, & nunquam certius, sanctis, eorumque cœtibus interesse, suaque sponte, & vel minus compellatos, jubilis jubila, laudationes laudationibus, hymnisque hymnos & jungere, & addere. Fieri omnino nequit, ut fileant cœli, festivitates celebrantibus sanctis in terra: nec intermittere possunt angeli, quin, laudante D'Em homine quocumque pio, Dominum & ipsi collaudent suum.

Hæc de modo excitandi angelos: Sequitur, ut de fine dieamus. Quacumque vero ratione, sive directe, sive indirecte, id agimus, ut angelos excitemus, omnis ea excitatio eo tendit, ut angelis nobiscum, nosmet cum angelis gloriam DEI ter opt. max., & in cœlis, & in terris promotum eamus. In hoc fine adquisimus, quatenus eum obtinemus; est enim ultimus atque summus. Sed, quum nunquam satis obtinere possimus, nunquam nostri cessare debent actus, quin potius omni ratione id semper agendum, ut obtineamus magis. Nam, quæ vere summa, immensa, ac infinita est gloria Dei, eam quomodo ita laudibus extolles, & celebrabis, ut non ultra debeas? Atque hinc sancti angi

*Luc. XV, 10.

geli in cœlis se invicem incendunt: hinc quoque, ad eorum imitationem, pii & sancti in terris, nec se invicem, immo nec angelos excitate, intermittunt.

Ceterum fines hic dantur alii, *intermedii*, iisque specialiter spectandi, quum voce compellantur angeli, pieque postulantur, ut Deum nobiscum celebrent. *Remotive* non minus, quam positive, de his dicendum est. Angelos excitando non id agimus, ut eos segnitiei vel somnolentiae arguamus, quasi illi, non admoniti, immemores sint officii, & laudatione supersedeant: Absit! Quin potius, quia sunt angeli laudis, Deo tribuenda, studiofissimi, & sponte currunt: ideo eos, ut laudes, quas nos singulari ratione decantandas cupimus, nobiscum & nostri gratia decantent, invitamus. Immo certe in dictis illis, quæ citavimus, biblicis sermo ad angelos directus est, ut nos omnino sciamus, non alium illis esse propositum summum finem, quam extollendæ Dei gloria. Deinde quoque compellamus eos, testandi adfectus nostri causa, sive, ut significemus, quomodo & nos in terris, quum sancti sumus, simus affecti, quo Zelo gloriae divinae, quo laudans ardore incensi. Nec enim sufficit sanctis, ut laudent soli, sed & alios excitant. Jungam hic verba divi Chrysostomi: * *Hoc, inquietis, est animi valde incensi, hoc ardoris amoris, omnes excitare ad laudandum eum, qui amatur, hoc animi, qui magnum adspicere capit voluntatem in cogitatione deo, qui stupet et miratur ejus gloriam.* Omnia ardoris est, præsertim & eos, qui pro sua, qua gaudent, sanctitate perfecte Deum laudare possunt, hoc est, sanctos angelos sibi sociatos & adjunctos velle. Porro ad laudandum incitamus angelos, ad testandam magnitudinem gloriae divinae, & immensitatem beneficiorum ejus, quæ tanta sint, ut ab hominibus, præsertim solis minus digne prædicentur. Hinc acute d. Hieronymus, & bene: ** *Ad laudem DEI sola hominum natura non sufficit jungantur et cœli.* Immo, quum immonda sint hominum labia, sanctos sibi spiritus jungere, decet. Insimul sic significamus, quanta sit præstantia laudum divinarum, tanta scilicet, ut angelicis buccis debeat depraedicari. Significamus, tanti a nobis fieri laudes DEI, quanti quidem omnino eas facere debet.

* *Exposition. in Psalm. CXLVIII.* ** *Commentar. in Psalm. dict.*

debemus, ut propterea optimos, qui nobiscum laudent, requiramus. Rursus, quum angelos hortatum & excitatum imus, facimus certe, ut de jure nostro nobis prospiciamus, communionem, quam jam in terris cum ipsis habemus, in celis vero perfecte habituri sumus, sancte servantes, ac omnino colentes. Similiterum testatum imus, quam nobis gratum sit, nostram vocem cum angelis conjungere, & communis consensu DEum laudare. Denique sub ista, quam saepe dicimus, angelorum compellatione subest optima admonitio. Excitamus illos ad laudandum, ut nos potissimum ipsos exfuscitemus, & facta tam nobilium sociorum mentione, omnem nobis socordiam excutiamus. Et certe, si angeli laudibus divinis lantur, si illi gratias agunt DEO pro beneficiis, in hominum genus, nosque etiam singulos collatis, turpe est, nos his beneficiis non adfici, turpe, laudibus divinis non delectari angelico more. Hinc omnino David & Elias verba, quibus cœlos & angelos compellarunt, literis in notitiam omnium, spiritu divino impulsi, consignaverunt, non angelorum causa, sed, ut ipsorum exemplo homines admonerentur.

Restat, ut quedam adjuncta excitationis, ad angelos directæ, subjungamus. Primum illa pia dicenda est, respectu eorum, a quibus proficiscitur. Nostra hic facimus verba divi iterum Chrysostomi: * Est, inquietis, hoc sanctis in more possum, propter prius gratum suum animum, ut quum Deo sint acturi gratias, aduersant multos laudationis socios, (præsertim & angelos,) hortentur, ut hoc pulchrum munus secum obeant. Immo hoc singulare pietatis argumentum esse, ex consideratione finis, quem modo indicavimus, adparet. Deinde eadem excitatione grata & accepta est angelis. Quamquam enim hi, ceu supra dictum, promississimi sunt ad laudandum Deum, ut vel omnem excitationem anticipent: tamen, qui ipsorum itidem in celebrando Deo ardor est, multum gaudent iis, qui, eodem Zelo abrepti, de excitandis ac invitatis illis satagunt. Quare quoque certissimus effectus hic est, ut angeli omnem sui excitationem attendant, seque Deum celebraturis socios omnino jungant. Denique haec excitatione honorifica est, & gratissima Deo. Hinc certe Spiritus ipse Sanctus divi-

no;

* loco jam citato.

nos Vates, Davidem & Esaiam, compulit, ut Deum celebrantes, sanctos simul compellarent angelos, nobisque hoc facto exemplum præarent imitandum. Haud possunt Deo displicere, quin per placere dicendi sunt, qui omni conatu adlaborant, ut laudentur Dominus.

Habetis jam, *Cives Academicorum*, O. O. *Honoratissimi*, habetis ea, quæ de angelis in celebrationem laudum divinarum nobiscum excitandis, meditati sumus. Vestrum erit, hæc non modo legere, sed & ita legere, ut certissimo tum Vobis, tum aliis sint usui. Vos obsecro ego, Vos omnibus precibus obtestor, & oro, ut quam commendatissimas primum vobis habeatis laudes Nominis divini. Gloriosissimum per se nomen hoc, & DEus vester is est, qui ab omnibus ac singulis, omni, qua decet, ratione, omni & loco, & denique tempore, celebrari meretur, dummodo laudibus nostris, quantum satis sit, extolli possit. Hoc nomen ipsius, ut audiatur DEus gloriae; * &, quemadmodum Patri gloriam omnem vindicat Filius: ** ita Filius ipse, ille quidem Crucifixus noster, Dominus gloriae, *** nec non Spiritus sanctus Spiritus gloriae, atque DEI est.* Vos igitur, quantum in vobis est, glorificate Dominum.

Nescio ego, quomodo Deus de Vobis meruerit peculiariter; hoc certe scio, longe optime de omnibus ac singulis promeritum esse: nescio, quanta Vobis contulerit; hoc scio, summa quadam, maximaque, & singularia singulis ab eo profecta. Vestrum est, hæc omnia & nosse, & attendere. Neque tamen vestrum, in considerandis beneficiis, quæ Vobis conferuntur, subsistere; sed potius decet, de immenso quoque Dei erga omnes amore cogitare: immo &, quantum fieri potest, cognoscendum, quænam dona ac bona singulatim adcipiant alii. Omnis vero ea cognitio, cogitatio, consideratio eo tendet, ut benignissimi Numinis laudes celebrentur.

In celebrando nomine divino, capiamus omnes exemplum ab angelis; &, quemadmodum Spiritus illi celestes alacres præcurrunt: ita nos, quo potuerimus incitatissimo cursu, sequamur. Cecinerunt illi, canunt in cœlis, canentque subinde:

(2)

Sanctus,

*Act. VII, 2. **Joh. XVII, 24. ***Cor. II, 8. *I Pet. IV, 14.

*Sanctus, Sanctus, Sanctus Jehovab Zebaoth ; plenitudo omnis terra gloria ejus ! * Idem sit nobis in ore, sed multa cum devotione, frequen- tissimum. Imitemur angelos, eo quidem sanctitatis studio, eo ardore Deum celebrandi, ut, quos sequimur, eos simul excitemus.*

O ! si Vos omnes, o ! Cives ! essetis per fidem vere justi, fideles, pii, integri vita, & fceleris puri, ut sic primum incitarentur men- tes cœlestes, & instituant vobiscum latari, & propter vos gratias Deo agere. Ceterum nos non possumus, quin vobis Psalmos, quo supra citavimus, Davidicos jam integros commendemus : quippe sunt, tum ad celebrandum DEum, tum ad excitandos vel ore tenus angelos, prorsus comparati. Agite jam in terris, quod in cœlis estis acturi : Laudate Dominum ! Laudate cum sanctis ipsis angelis, ut vobiscum celebrent sancti ipsius Angeli !

Esa. VI, 3.

P. P. Sub Sigillo Rectoratus

In Festo Michaelis

Anno O. R. MDCCXXXVIII.



Digitized by srujanika@gmail.com



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn1004021992/phys_0016](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1004021992/phys_0016)

DFG

nos Vates, Davidem & Esaiam, compulit, ut Deum sanctos simul compellarent angelos, nobisque hoc plumb præterent imitandum. Haud possunt Deo disperplacere dicendi sunt, qui omni conatu adlaborantur Dominus.

Habetis jam, *Cives Academicorum*, O. O. Honoratissimorum quæ de angelis in celebrationem Iandum divinarum excitandis, meditati sumus. Vestrum erit, hæc nomine, sed & ita legere, ut certissimo tum Vobis, tum a Vos obsecro ego, Vos omnibus precibus obtestor, & commendatisimas primum vobis habeatis laudes Nostri. Gloriosissimum per se nomen hoc, & DEus vestus ab omnibus ac singulis, omni, qua decet, ratione, & denique tempore, celebrari meretur, dummodo instrumentis, quantum satis sit, extolli possit. Hoc nomen indicat DEus gloriae; * &, quemadmodum Patri gloriam vindicat Filius: ** ita Filius ipse, ille quidem Crucis Dominus gloriae, *** nec non Spiritus sanctus Spiritus atque DEI est.* Vos igitur, quantum in vobis est Dominum.

Nescio ego, quomodo Deus de Vobis meruerit per hoc certe scio, longe optime de omnibus ac singulis praesertim: nescio, quanta Vobis contulerit; hoc scio, sumdam, maximaque, & singularia singulis ab eo proficuum est, hæc omnia & nosse, & adtendere. Neque instrumentum, in considerandis beneficiis, quæ Vobis conferuntur; sed potius decet, de immenso quoque Dei et amore cogitare: immo &, quantum fieri potest, cognoscere quænam dona ac bona singulatum adcipiant alii. Cetera cognitio, cogitatio, consideratio eo tendet, ut bene Numinis laudes celebrentur.

In celebrando nomine divino, capiamus omnes ab angelis; &, quemadmodum Spiritus illi cœlestes præcurrunt: ita nos, quo potuerimus incitatissimo cumur. Cecinerunt illi, canunt in cœlis, canentque

(2)

*Act. VII, 2. **Joh. XVII, 24. ***1 Cor. II, 8. *1 Pet. I




Image Engineering Scan Reference Chart TB63 Serial No. 0111
Patch Reference numbers on UTT